



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qvalitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

360. Quid si ergo servus non donatus libertatis pervenerit ad Ordines.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)



*Questio 358. Num Pralati religiosi dispensare possint cum suis subditis regularibus in bigamia?*

**R**espondeo: nequidem quoad Ordines minores, id eos posse in bigamia vera & interpretativa, etiam si exempti sint, & aliàs privilegiati; nullibi enim in jure reperitur talis illis concessa facultas. Quin & in privilegiis mendicantium ordinariè excipitur bigamia. Barb. loc. cit. n. 28. Tamb. de jure. Abb. to. 2. d. 17. q. 3. num. 2. Dian. loc. cit. resol. 63. Pass. n. 77. Mirand. to. 2. q. 8. a. 14. Sigism. à Bon. de elect. dub. 68. p. 2. Ubi etiam monet, quòd licet non esset improbabile apud aliquos, posse id Pralatos regulares quoad Ordines, improbabile tamen esse id eos posse quoad dignitates. idem tenet Pass. loc. cit. De cetero ii, qui quasi Episcopalem jurisdictionem in suos subditos regulares habent, ut Generales, Provinciales, Abbates, Priores exempti &c. dispensare cum suis possunt in bigamia similitudinaria. Suar. loc. cit. n. 16. cum Pralati regulares possint cum suo subdito dispensare tantum, quantum Episcopus cum suo. Pass. n. 71. ubi etiam ait, non posse regularem exemptum, etiam de licentia suorum Superiorum, se subicere Episcopo pro petenda hac dispensatione, malèque facturum superiorem, si talem ei licentiam concederet, nisi forte esset gravis necessitas, & Superior adiri nequiret. Porro quæ dicta hucusque de dispensatione cum bigamis, obtinent, etiam si sint trigami, vel etiam quatuor, aut plura matrimonia contraxerint, cum sit eadem irregularitas. Sanch. loc. cit. n. ult. Navar. consil. 2. de bigam.

*Questio 359. Num servi seu mancipia, antequam libertate donati, sint eligibiles, vel alià viâ promovibiles ad beneficia Ecclesiastica?*

**R**espondeo: negativè, nequeunt enim promoveri ad Ordines, etiam minores & primam tonsuram. c. 1. & c. consultuit. de servis non ord. idque tum ob dignitatem clericalem, & vilitatem servilem. c. generalis. & c. admittuntur. d. 54. tum quia, cum per Ordinis susceptionem homo divinis officiis mancipetur, debet esse sui juris, ut liberè possit Ecclesia ministerio vacare. cit. c. 1. Porro ut quis promoveri possit ad Ordines, sufficit esse libertinum, hoc est ex justa servitute manu missum, & non requiritur ut sit ingenuus, hoc est liber natus. Pirh. de servis non ord. n. 1. cum communi.

*Questio 360. Quid, si ergo servus non donatus libertate ad Ordines tamen jam pervenerit?*

**1. R**espondeo primò: si sciente & non contradicente Domino initiatus est ordinibus, vel etiam solà tonsurà, hoc ipso fit liber. c. si servus. d. 54. Gl. & Abb. in c. 2. de servis non ord. Suar. de cons. d. ult. s. 3. n. 5.

**2. Respondeo secundò: si ignorante Domino ordinatus fuit tantum minoribus, manet servus, & Dominus eum vindicare potest. c. de servorum. t. eod. Suar. loc. cit. n. 10. intelligiturque regula juris. 51. in 6to. quòd semel Deo dicatum est, non est ad usus humanos ulterius transferendum: de re inanimata tantum, utpote cujus consecratio est merè materialis, & in superficie, & ideo à manu pro-**

fana tractari non debet, quæque aliàs facile compensari potest, & in qua dolus locum non habet; servi verò consecratio per Ordines minores est valde imperfecta, & ei fraus, dum sine consensu domini permittit se ordinari, patrocinari non debet. Gl. in c. 2. d. 54. Host. in sum. n. 7. de servis non ord. Suar. loc. cit.

**3. Respondeo tertio: si ignorante vel contradicente Domino suscepit diaconatum (idem dic de subdiaconatu, utpote qui hodie dum inter sacros quoque ordines numeratur. Suar. loc. cit. n. 13.) ab Episcopo sciente illum servum esse, servus efficitur liber; Episcopus autem (vel si is servum ignoravit, qui testimonium perhibuit, & supplicavit, ut ordinaretur) tenetur Domino duos servos æquè bonos vel duplum pretium solvere. c. si servus. de serv. non ord. Suar. loc. cit. Si verò tam Episcopus quàm præsentans jusse ignorarunt, illum esse servum, & ipse à nullo inductus ordinatus sit, debet Domino dare similem servum, vel ex proprio peculio pretio oblato se redimere; vel si neutrum præstare potest reddendus est Domino, & is intra annum eum ad servitutem revocare potest, quòd si fecerit, servus manet privatus usu Ordinum, & Clericali privilegio fori. c. ex antiquis. d. 54. juncta Gl. nec licet ei habitum aut tonsuram clericalem deferre. Tol. in sum. Cas. l. 1. c. 59. num. 10. apud Pirh. n. 7. non tamen privatur privilegio Canonis; ita ut sine sacrilegio (etiam à Domino, quòd tamen negat Turrecem. in c. nulli. d. 54.) verberari non possit. Gl. in cit. c. nulli. Sayr. de cens. l. 6. c. 14. num. 5. Pirh. loc. cit. Quòd si dominus per annum, postquam scivit servum esse ordinatum, dissimulet, censetur eum plenà libertate donare. Arg. c. si servus. Suar. loc. cit. Pirh. n. 4.**

**4. Respondeo quarto: si ignorante aut invito domino ordinatus est sacerdos, non potest iterum in servitutem revocari, etiam si domino integrè satisfacere nequeat, sed cogitur solum amittere peculium suum quoad usum illius. cit. c. ex antiquis. Pirh. n. 6. si verò peculium nullum habeat, tenetur domino, si id exigat, servire in officiis spiritualibus. c. frequens. d. 54. etiam si id non fiat per modum compensationis, cum res temporalis per spirituales redimi vel commutari nequeat. Suar. loc. cit.**

*Questio 361. Quinam præterea ob defectum plenæ libertatis prohibeantur ordinari?*

**1. R**espondeo primò: liberti, nisi fuerint directè & sine retentione obsequii personalis manu missi, ne quando illorum domini voluerint (quòd tamen facere non possunt, nisi probatà causà ingratitudinis. c. ult. 15. q. 7. Gl. in c. quicumque. d. 54.) ex Clericis fiant servi. ibid. cum promovendi ad Ordines ab omni jugo dominico debeant esse liberi. c. si quis. d. 54.

**2. Secundò: originarii vel servi adscriptitii, si personaliter ratione personalium obsequiorum domino obligati sint, ita ut ab eo, nisi gratis, vel persoluto pretio discedere nequeant. c. admittuntur. d. 54. juncta Gl. marg. vide Laym. Theologia Moral. l. 1. tr. 5. p. 5. c. 8. n. 2.**

*Questio 362. Quis in hoc impedimento servitutis, sive irregularitate ob defectum plenæ libertatis dispensare possit?*

**R**espondeo: solus Papa, quia hæ irregularitates jure communi Canonico sunt constituta. Laym. loc. cit. & ex eo Pirh. n. 9.